

Peter Lauremberg Trugillus Dieterichsen

Disputatio Theorematica Adstruens Motum Nychthmerinon A Telluris Circumgyratione Dependere

Rostochii: Reusnerus, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729597067>

Druck Freier  Zugang



R U phil 1638
Peter Laurentz
Tringillus-Dietrichsen



DISPUTATIO THEOREMATICA
ADSTRUENS
MOTVM NYXΘHMEPINON
A TELLURIS CIRCUMGRATIONE
DEPENDERE,

Quam

FORTUNANTE DEO

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi, Excellentissimi & Experientissimi

DN. PETRI LAUREMBERGI,

Phil. & Med. Doct. & Profess. Celeberrimi, Præ-
ceptoris ac Fautoris sui jugiter venerandi,

*Exercitij gratiâ, publicâ placidâq; Disqui-
sitioni subijcit*

TRUGILLUS Dieterichsen
Aslojâ-Norweg.

*In Auditorio Majori, Die August.
Horis matutinis.*

Frustra fit per plura, quod fieri po-
test per pauciora.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS REUSNERI,

ANNO M. DC. XXXVIII.

DISPUTATIO THEOREMATICA

MOTVM NYXOMEPINON
A TELLEBIS CIRCUMTATIONE

FORTUNANTE DEO

ANNO 1730

DA PIERI LAUREMBERGI

Phil. & Med. Doct. & Prof. in Coloniensi, Præ-

ceptoris & Auditoris, & in D. D. D. D.

THOMAS CIRCUMTATIONE

A. J. N. V. G. W. G.

in Collegio S. Martini, D. D. D. D.

Prolegomena ad Geometriam, quod non po-
tuit per se per se



ROSTOCKI

Typis IOHANNIS REUSNERI

ANNO MDCCLXXXII

Prooemium.



Enſui admirandorum, ſi quid aliàs, hoc
 profecto dignũ quod adnumeretur; quem-
 admodum ſcil. diverſis ſæpeq̃, contrariis
 modis ſeu hypotheſibus, cœli corporumq̃
 cœleſtium motus, citra adparentiarũ tur-
 bationem ſalvare poſſint *Aſtroſophi*; E-
 tenim experienciã teſte, eundem operis
 exitum monſtrant per (1.) quietem terra & motum ſolis; & con-
 trã, per (2.) quietem ſolis & triplicem, circa eundem, motum ter-
 re; quã aliàs per (3.) quietem & motum telluris ſimul, quieſcen-
 tibus cœlo ſtellisq̃. Unde palãm eſt, tres dari de motu univerſi
 opinionones, & totidem hodiernum earundem aſſectas, qui ſive illius
 (ceu *Prolemæi*) vel iſtius (ut *Copernici*) huiusve (ſcilicet *Ori-
 gani*) adſtipulenter ſententiã, adeo eandem ſemel præconceptã
 pertinaciter & mordicus deſenſare adlaborant, ut pro eadem
 prius (auſim dicere) occumbant quã deſerant. Quare hæc in
 hunc modum adſtructa non exiguam ambigendi anſam ſubmini-
 ſtrant, quin meritò quærat, quenam opinionum enumeratarum
 cauſam ſpiret genuiniorẽ, & dicto motui adequatiorẽ?
 nam cum demum ſcimus cum rem per cauſam verã cognoviſſimus.
 Huius igitur ſciendæ cupidi nefas non eſſe duximus, opera potius
 precium, ſi aliquam datarum hypotheſium, ultimam quippe (miſ-
 ſã illã mediã ingenioſiſſimẽ ſanẽ excogitatã) ut veritati cõſonam,
 cœloq̃ proximẽ convenientem, cum primã iſta (qua *Prolemæi*
 eſt) debili fundamine ſtabilitã, ſpeciem ſaltem rei præſeferen-
 te, imo abſurditatis ſæpicule contaginem redolentẽ, conferamus;
 Ita enim ut ex hypotheſi noſtra, qua terram fovet quieſcentem
 ſimul & mobilem, præter phenomẽna ſeu nudum cœli motum,

etiam dependentiam seu causam eorundem genuinam multò significantius monstrari posse pateat. Quod dum probatum damus, duo observaturi theoremata, quibus seu membris discursus noster solius veritatis desiderio addiscenda profectus, methodicè & breviter sese absolvet. Esto proinde hoc nostrum

THEOREMA PRIMUM.

Motus primus seu *ἡμετέριος* astris adparenter duntaxat inest.

§. 1. Priusquam theorematis adfert probacionem adgrediamur, pauca quædam præsubstrare adlubescit, de variis à veteribus syderalis scientiæ cultoribus magnâ industriâ notatis motibus, qui cum primis tres numerari solent. *Primus*, quem communem seu Catholicum vocitant, quo quicquid in cælo syderum sit, ab ortu in occasum & hinc rursus per hemisphærium inferius ab occasu in ortum circa æquinoctialis seu mundi polos, æquali perpetuò celeritate, 24. horarum decursu volvitur & circumgyratur. *Secundus* seu proprius, quo non minus fixæ quàm aliàs erraticæ contrario plane gressu, seu quod idem est, ab occasu in ortum, lento, inæquali & singulis proprio passu, orbibus magnitudine diversis, super axe & polis (non æquatoris, sed) Eclipticæ iter suum absolvunt. *Tertius* est Trepidationis seu librationis, quo stellas à plaga arctoa ad austrum, & versâ vice, à meridie ad septentrionem terpere subinde arbitrantur.

§. 2. Hi sunt motus, quos insigni curâ notarunt veteres Astronomi, quorum princeps facile Ptolemæus, qui ut cælo omnem adscribat motum, terrâ in medio totius quiescente, sydera statuit duos simul experiri motus, *Communem* istum seu diurnum, quo astra omnia ab ortu in occasum, & *proprium*, quo, momento eodem nihilo secius ab occasu in ort. devolvantur, hunc quidem nativâ indole, illum vero vi seu circumactu primi alicujus (ut fingit) mobilis.

§. 3. Nos vero alius generis persuasi opinionibus, non sine evidenti absurditate hæc fieri posse arbitramur; quocirca explo-

exploso, hac vice, motu isto Catholico, adstruimus unicum saltem circa axem Eclipticæ, ex occubitu in ortum (quem secundum vocant) astris inesse motum, uni formem quippe fixis omnibus, peculiarem vero singulis planetis; & ne quid desideretur, quod motum commoueret diurnum, dicimus eundem adparentem saltem esse, & à circumuolutione telluris dependere, uti ex theoremate secundo patebit.

§. 4. Hisce taliter adstructis, pergimus ad assertionis nostræ rationes, ita conditionatas, ut quæ ratione sententiæ Ptolemaicæ infirmitatem detegant, eadem quoque nostræ veritatem consequenter benè inferant.

§. 5. Primam igitur desumimus ab absurditate, absurdum siquidem sit, tot tantaque sidera in ortum naturali motu tendentia, retorqueri posse, & in occasum seu oppositam plagam abripi, cum cælum totum, in cuius palatio liberè sed certo ordine gradiuntur, corpus sit subtilissimum, peruium, omnis soliditatis & duriti ei expers; sin igitur nulla in cælo durities, nulla soliditas, quanam ratione quòve nexu primum istud mobile sphaeras sibi (ut vult) suppositas circumtorquere quæat? cum ne ulla quidè circumtorsio aut raptus sine duritie, sine tractione, sine violentia expediatur: Quæ de intelligentiis afferuntur rotatricibus orbium cælestium, nullo nituntur solido fundamento.

§. 6. Alterum suppeditat parilis absurditas; nam meram spirat absurditatem sphaerarum imprimis superiorum pernix ille & spiritibus vix concedendus, imo omnem ferme temporis rationem excludens motus, ex hypothese Ptolemaica perceptus, quod inde pater satis, si iter ejusdem consideratum eamus; Etenim magnus Tycho Brahe Astronomus incomparabilis, fixarum sphaeram à mundi centro ad 14000. semidiametros terræ i. e. 12040000. mill. Germ. fere removet, continebit igitur juxta proportionem Archimedæam hæc sphaera 88000. semidiametros terræ, seu 75680000. mill. Germ. tot enim singulum punctum in æquatore octavi orbis situm 24. horis, horis rursus singulis 3153333. mill. Germ. singulo scrupulo horario primo 52555. mill. Germ. singulo rursus scrup. hor. secund. i. e.

A 3

in mo-

in momento fere 876. mill. Germ. peragrabit. Sed hunc præter modum absurdum, momentaneum & incomprehensibilem, tam vastorum corporum, tellurem infinitis parasangis mole sua excedentium, motum, tantillo temporis spacio nemo mortaliū sibi imaginari potest, multo minus bonâ ratione comprehendere; imo nulla soliditas ferrea adeo firma & pertinax fingi potest, quæ tanto furore & tam incessabili pernicitate non distumpatur & in frustella abeat.

§. 7. Tertiam porrò largitur proportio sphaerarum, Deus enim O. M. nolens unum eundemq; motum tam diversarum esse mensuram, cujusvis ideo sphaerae motum ejusdem magnitudini fecit proportionalem, ne naturæ ordo turpiter turbaretur, is enim est, ut stellæ majoribus gaudentes sphaeris, plus temporis in revolutione sua insumant, quam quæ minoribus istis; cernimus enim ☽, cujus cursus intra minimæ sphaerae cancellos coëctetur, motum suum periodicum menstruo spacio absolvere; ♃. ♄ & ☉ uno annorum; ♁ biennio; ♃ duodecennio; ♃ 30. annis; stellæ verò fixæ omnium extimam & maximam occupantes sphaeram, secundum Tychonem 2542. (vel alios, 70.

annis unum grad. i. e. 25200; item 100. an. 1. gr. i. e. 36000.) annorum decursu suam absolvunt revolutionem; unde perspicuum est, stellæ in majorib. Sph. tardius, in minorib. v. ocius moveri seu circuitus suos absolvere, & ex consequenti motum omnibus æquè velocem & communem perperam valde adsignari.

§. 8. Quartam subministrat contrarius motus, qui hic à Ptolemæo eidem subjecto, ad idem tempus tribuitur; at quàm impertinenter, videt qui corporum naturalium simplicium indolem iverit consideratum, ejusmodi enim genij sunt, ut unico saltem moveri gestiant motu, quare non minus ineptum, quàm verè stolidum videtur, duos & quidem contrarios illis adsignare motus. Ecce verissimum est, motus istos, quibus astra in ortum & (juxta prædictam hypothefin) occasum feruntur, esse contrarios nam per puncta orientis & occidentis, quæ verè opposita sunt, Æquè fertur Zodiacus ac ipse æquator, ergo etiam motus ductum horum circulorum sequentes contrarij. Quod argumentum quia contra facit decretum cōtradictorium Logicum, omittere facilè non potuimus.

§. 9 Atq;

S. 1. Atq; hæ sunt rationes quæ infirmitatem Ptolemæi sed veritatem nostræ, ex consequente, adfertionis ostendant, scilicet motum primum s. $\nu\chi\theta\eta\mu\epsilon\gamma\iota\omega$ reapse nullo modo, adparenter saltem astris inesse, & a diurna telluris vertigine unice dependere, quod e sequentibus in proclivi.

THEOREMA SECUNDUM.

Terra in mundi medullio constituta circa proprios polos circumgyratur quotidie.

S. 1. Pro demonstrando motu $\nu\chi\theta\eta\mu\epsilon\gamma\iota\omega$ rectius putamus facere eos, qui causam ejusdem intra ad spectabile hoc cœlum quaerunt, adeoq; telluri potius quam Sphæræ cuidam extremæ eandem assignant, siquidem Sphæræ, præsertim fixarum, propter rationes supra positas, ad momentaneum tempus valde inæqualis ratio est.

S. 2. Ne igitur videamur tales, qui dissentaneum quiddam adscribemus naturæ, nihil quippe superflui, compendiosissimè potius operanti, maximæ, ecce, primi mobilis Sphæræ nullam omnino diurni motus attribuimus causam, siquidem tellus ejusdem muneris melius longè & possibilis obeundi potis deprehendatur; dum Æquinoctialis hujus, quo minor in cœlo circulus non datur, in 360. grad. quorum quilibet 15. constat miliaribus G. divisus continet 5400. mill. G. & tellus ab occidente in orient. spacio diei naturalis semel conversa, omnes regiones sub æquatore sitæ, intra 24. hor. percurrunt miliaria jam dicta Germ. in circulum, i. e. singulis horis, mill. 225. singulo minuto hor. pr. $\frac{3}{4}$ m. G. singulo verò secundo seu minuto unam tantum decimam sextam mill. G. partem.


S. 3. Jam verò in quantum paralleli ad diversas latitudines tam boreales quam australes minores sunt æquatore, in tantum quoq; proportionaliter regiones sub iisdem parallelis sitæ minorem miliarium numerum in cursu suo absolvunt; v. g. in nostro parall. (Rostochij scil.) qui latitudinis est borealis, ad $\frac{5}{10}$ singulis 24. hor. 374. mill. G. sing. hor. $132\frac{3}{12}$. mill. G. singulo tursus minuto hor. pr. mill. G. $2\frac{5}{8}$ fere; qui motus in suo genere pernix

pernix fatis, interim fixarum isto possibilior, naturæ propterea convenientior censendus.

§. 4. His præsubstratis, omnino subscribimus sententiæ Cl. Davidis Origani, Astronomorum, haud postremi, quæ ea est, ut statuatur terram cum aquis scilicet affusis, (quæ juncta unum constituunt globum) occupare centrum hujus universi, vel potius mole sua circumfusam esse centro mundi, & super hoc, naturali motu in axe mundi circumgyrari spacio 24. hor. ab occasu in ortum. servatâ eadem perpetuo peripheriæ à centro distantia h. e. centro & axe tellus immobilis est, juxta partes verò cæteras ab occasu in ortum diutius æqualiter & admirabili constantiâ circummouetur. Quo suo motu simul etiam circumducit totam illam aeris regionem, quæ nubibus & exhalationibus Terrestribus exposita & pervia est, unde etiam scite admodum & luculenter demonstrari potest nubium in aëre suspensio, Philosophis aliis inexplicabilis.

§. 5. Et hinc est quod nova subinde nobis ad ortum adpareant sydera, quæ falso nobis oriri videntur, cum nos potius oriamur illis; currente enim in ortum terrâ, quicquid extra est, videtur contrario motu tendere in occidentem, cum revera quiescat, nã quantum illud tibi videtur in occubitum abire, tantum Tu cum domicilio tuo in ortum peregrinaris, planè sicut navis constantissimo cursu promotâ in causa est, cur navigantes non navim sed ripas vel litora progredi autumant.

§. 6. Evidentiæ majoris ergò schema aliquod adicere placet, in quo circulus minor globum terrenum, major stellæ, vel solis potius viam repræsentat.



Sit igitur in figura locus solis α , punctum tuæ habitationis β , quo in ortum eunte, usq; dum linea recta ad α , ab hoc puncto commodè possit describi, dicimus solem oriri tibi; punctum v. occidentalius γ . nullum adhuc solis ortum sentit, ob interjectum telluris tumorem, qui tum demum evanescit, cum punctum idem revolutione telluris, eousq; in ortum est delatum, ut recta pariter linea hinc ad α possit excurrere, quod dum fit, sol Tibi in meridiano est, quia punctum præcedens β . directè subjicitur lineæ ab α seu centro solis ductæ; quando tandem ulteriori telluris circuitione ab α ad β . linea recta non amplius potest describi, solem dicimus Tibi occidere, quia terræ gibbositas s. tumor inter α & β . subinde accrescit, & abscissâ linea illa visivâ, sol à tergo relinquitur invisibilis, unde tandem punctum terræ δ , solis loco α diametraliter oppositum noctis notat medium. Simili etiam ratione punctorum interjectorum ortus inquiritur & occasus, illa enim eo oriuntur & occidunt tardius, quò præ alijs sita sunt occidentalius.

§. 7. Hinc itaq; luculenter satis judicari potest, nostram sententiam omnibus modis esse veram, de nota, quòd nihil absurditatis, nihil *arrogantiae*, nil deniq; contrarietatis præ se ferat, quicquid etiam in contrarium asserant Ptolemæi sequaces, qui suâ pro sententiâ defendendâ, non unis, nobis insurgunt modis, intorquent enim arietes ex armamentario tam Philosophico quàm Theologico desumptos, cujusmodi a. virium sint, sequentibus dabimus explicatum.

§. 8. Urgent enim primò, terram ob insignem amplitudinem & gravitatem motui esse inhabilem. Respondemus, amplissimam licet profiteamur terram in semet consideratam, ad motum tamen ineptam proinde non concedimus, nullam siquidem quantitatem habeat, sed puncti saltem instar sit ad fixarum sphaeram conlata; possibilis utiq; ad definitum tempus moveri eandem, quàm stellam hâc decies majorem. : Gravitatem insuper dum sibi, præ reliquis elementis vendicat, motui sit simul obnoxia, siquidem lege necessitatis, gravia (uti lapides &c.) sursum projecta, cessante motu, aerem deserant, & impos-

B

sibile

fibile si sit eadem posse in aere pendere sine motu, multò certè impossibilius grandis illa terræ moles, quæ si ad motum ob gravitatem (ut volunt) inepta sit, erit etiam ad librationem & quietem in aere.

§. 9. Infertur porrò terram non posse moveri, nisi quæ imposita sibi habet, uti ædificia, templa, turres &c. prostrata collaberentur, & deserto terræ globo in aerem caderent. Verum, ut occurreret huic incommodo natura, terram fecit uniformiter & æquali perpetuò motu circumire, dum igitur terra sic tota circumvolvitur, imposita suis punctis adglutinata quasi adherent, & sensim circumeunt unà, vixq; locum suum relinquunt, propter naturalem gravitatem, quæ centrum propensione petit.

§. 10. Amplius, si concederetur telluris ab occasu in ortum motus, nubes (aiunt) perpetuò viderentur tendere in occasum. Quod verum equidem, si perperam separentur conjungenda, quare uti antè, ita & nunc dicimus terram cum sibi coadunitis elementis, veluti aquâ & aere, dicto modo simul converti, & aerem terræ motum ultrò sequi, prorsus velut plumæ in aere pendentes circumactam rotam.

§. 11. His etiam addunt, tum illud, de pondere magno ex celsa turri demisso, quod impossibile putant, posse intra perpendiculum suum manere, ob motum terræ; tum de globo tormentorio, quem majus autumant spacium emetiri versus ortum projectum, quàm versus occasum, nam mota in ortum terra remorari videtur illum versus occasum explosum, alterum verò versus exortum javare. Sed ad prius breviter; quia pariter, terra, pondus simul promoventur, non mirum putamus si eandem ad se situm retineant. Ad posterius verò similiter ferme; quia namq; extrema corporis terreni superficies mota, promovetur totum ei impositum simul, cumq; generali illo motu procedit, emissum igitur æquali vi, ad ortum & ad occasum, æqualem distantiam utrinq; conficit, etiam si diurna telluris vertigo procedat, non aliter ac unius hominis 20. passus, ut versus orientem, ita & occidentem æquale constituunt intervallum.

§. 12. Sed hæc usq; , è multis, præcipua eorum fuerunt argumenta Philosophica, sequuntur tandem Theologica, quæ methodi discretionis gratia ad 3. classes referimus.

§. 13. In prima cernuntur loci, quæ terram super immota fundamenta conditam esse testantur, quocirca terræ motus verè videtur destrui, uti est Psal. 104. 5. ubi sic legitur; *Terram fundavit basibus suis, ut sempiternum temporibus non dimoveatur.* Resp. concedendo totum eorum argumentum, nam quemadmodum rota molaris non dimovetur ideò à suo loco, quod circumagatur, sed manet in loco eodem, & circum meditullium suum rotatur: ita & terra, quia circumvolvitur, non nutat ideò, neu vacillat, neu dimovetur à suo loco seu centro, sed super idem tanquam basin fundata, uniformiter licet eundo manet; hic igitur locus nobis omninò non adversatur, siquidem motui seu circumvolutioni terræ non contrarietur, uti evidens est ex interpretatione B. Luth. quæ ita habet: *Der du das Erdreich gründest auff seinem Hodem / das es bleibe* (scil. super centrum suum) *immer und ewiglich / non dicit, daß es unbeweglich stehe ewiglich.*

§. 14. Similis census est, Eccles. 1. 4. generatio præterit, generatio (alia) succedit, terra autem in æternum persistat. Sed neq; hic locus contra motum terræ, cum textus de hominum mutabilitate & inconstantia loquatur; quod itidem optumè vidit Luth. qui mentem Salomonis attendens ita (benè quidem) vertit: *Das eine Geschlecht gehet / das ander kompt / die Erde aber bleibt ewiglich*; Terram igitur ait manere eandem, sed terrena omni momento mutari.

§. 15. Huc etiam referunt illud Job. 38. 4. *Expone si quid teneas scientia, ubinam eras tu, cum terra fundamenta jacerem?* Ad quod argumentum non opus quidem est respondeamus, siquidem contra nos non fit directum, nos enim de terræ motu, hoc verò de telluris creatione loquitur. At fundatam præterea urgent terram, ex Psal. 89. 12. his verbis; *Tui sunt cali & tua est terra, orbis & quicquid in eo est, tu fundasti ea*: Sed hic locus, si de creatione non differat, ut differit, certè cælum etiam fundatum

B a

datum

datum statuit, verè enim vocula *fundasti*, tam ad cœlum quod terram respicit; igitur velut fundatio cœli non impedit motum cœlestium; ita nec terræ, ejusdem motum impedire potest; prius enim sensibus omnium est expositum, & commune adparens, posterius non item.

§. 16. Nunc ad classẽ alteram, quæ illos exhibet textus, in quibus, astris motus assignatur, ortus & occasus, unde terræ quies adpertè videtur assignari; idq; tum ex Psal. 19, 5. 6. 7. & Eccles. 1, 5. tum etiam Matth. 5, 45. Resp. neutiquam eosdem adversari nobis, cum astris nec motum, neq; ortum & occasum denegemus; non motum, ut ex §. 3. Theorem: 1. constat; neq; magis ortum aut occasum, modò attendantur cum Theorematis secundi §. 4. 5. 6. tum sequentia, quibus asserimus astra oriri & in conspectum, tum demum nobis venire, cum habitaculi nostri punctum, in ortum eousq; est delatum, ut recta linea ex oculo ad unum astorum ducta commode possit pertingere; idem verò occumbere, cum in ortum eousq; provehimur ut astrum à tergo relinquamus, & linea ex oculo ad idem describi nequeat, ob telluris intervenientem & lineam visivam abscondentem tumorem, qui astrum è conspectu nostro abire necessitat, respice, si placet, schematismum nostrum, qui & hæc non parum illustrat.

§. 17. Sequitur tandem ultima classis, ea habens scripturæ dicta, quæ primam solis lationem aliquando inhibitam fuisse ostendunt, quare motus diurnus non terræ, sed Soli disertè ascribitur, veluti legere est, Josuæ 10, 13. ubi ☉ & ☾ integrum diem artificial. sublittere; & 2. Reg. 20. 11. uti & Esa. 38. 8. ubi ☉ 10. gradib. in horologio Ahas, tempore Regis Hirschæ lethaliter ægrotantis, recessit. Resp. Ex his omnibus nil certi posse colligi, cum non rem, sed apparentiam, i. e. non quod revera est, sed tantum quod nobis videtur, ob oculos ponant. Nam Spiritui S. scripturarum autori rem taliter referre placuit, ad iudicium enim & captum nostrum, in hoc passu, sese ideo artemperat, ut eo melius à nobis intelligi possit, quemadmodum nutrices infantibus sese solent accommodare; & ideo dicit solem sterisse, quod.

quod copiis Josuæ stare videbatur, cum tamen non sol sed terra
verè & miraculosè tunc temporis stabat.

§. 18. Hisce positis, nil obstat quòd literalem SS. scri-
pturæ sensum, hoc modo inverti urgeas, cui nos, tum vel maxi-
mè ajemus inverti, quando scriptura pari modo, non quod est,
sed esse videtur, haud uno loco proponat; videatur Psal. 24. 2.
qui terram super maria fundatam dicit, cum videamus aquas
potius terræ, quàm illis hanc inniti undiquaq; & merito qui-
dem, nam natura dissentaneorum jugum vix subit, quod aliàs
fieret, si graviora levioribus inædificarentur.

§. 19. Impune etiam huc referri post illud Jerem. 31. 8.
& Ps. 22, 29. ibi enim latera terræ, hic fines seu extremitates ejus-
dem adseruntur: item Job. 26, 11. & alibi, ubi de columnis cœli
memoratur, quæ, cum hujus notæ aliis, secundum literatam
sensum si quis interpretetur, Physicæ Matheosq; fundamenta
verè dirutum festinat.

§. 20. Quocirca nil peccare nos putamus, licet aliquan-
tulum à literali declinemus sensu, cum idem scripturâ S. edocti
faciamus, & ideo adversus opponentium adsultus non parum
nos tuemur locis ejusdem laudatis, quæ etiamsi ullam contra
nos admittant conciliationem, aut interpretationem, remanet
nihilominus, quòd ex scriptura, de cœli vel terræ motu, judi-
cium perperam feratur, idq; vel maximè, cum exacta hujus
quæstionis fundamenta non in hac, sed Astronomia & Geome-
tria jaceant;

§. 21. Perpende sodes istud, quod est 1. Reg. 7, 23. in quo
de vase æreo, quod Salomon inter alia templi Hierusolymitani
instrumenta fecit, cujus diameter erat 10. cubitorum, ambitus
verò seu circumferentia cubitorum 30. unde diametri ad perife-
riam proportio statuitur ut 10. ad 30. seu 7. ad 21. cum tamen
juxta proportionem Archimedæam & experientiam, eadem ad
hancce aliquando major & fere qualis 7. ad 22. inveniatur, ut
ita utriusq; mensuræ differentia, integer sit cubitus: Quærenti
igitur utra proportionum verior? alterutra enim statuenda, aut
nimirum ea quæ est spiritus S. aut altera quæ Archimedæ; Resp.

B₃


Archi-

Archimedæam, certis quippe stabilitam Geometriæ fundamen-
tis, nam Spiritus S. alteri intentus instituto, hanc rem populari
more contentus fuit referre: Neq; verosimile est, Mosis unquam
aut Prophetarû fuisse institutum, Mathematicas aliquas aut Phy-
ficas subtilitates promulgare, sed ad vulgi captum & loquen-
di morem sese accommodare, neq; minutias quasq; non neces-
sarias consecrari.

§. 22. Relinquitur ergo Astronomiam & Geometriam
quæ spectant, non ex SS. script. esse demonstranda, sed ad ipsam
Astronomiam, Geomet, imo etiam Physices normam tutius ex-
aminanda; ideoq; nostram sententiam, dictis Scripturæ locis,
magis hætenus esse probatam, quam refutatam, si sic, manet
quoq; immotum, raptum primum non à primo isto (ut vult
Ptolemæus) mobili, sed à telluris circumgyratione dependere,
id quod intendebamus.

§. 23. Atq; hæc generaliter saltem de motu universi,
sequenti, eum DEO, disputatione, minutius paulò eundem
discutiemus, ubi simul Æquinoctiorum præcessionem, proces-
sumq; Eclipsos, utriusq; scil. luminaris, ad oculum demon-
straturi. Interim DEO O. M. ejus sapientiâ inperscruta-
bili totus hic motus dirigitur, laus sit & honor seculis
nunquam terminandis.

Ne pa-



Ne pagella relinqueretur va-

cua, sequentia lemmata, de suo adjecta,
ventilanda proponit
P. RÆSES,

I. Apud Virgil. lib. 6. Æneid. hi leguntur ver-
sus,

————— *jacet extra sidera tellus*
Extra anni solisq; vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:

Ecquane est ulla terræ portio extra stellas posita? aut non sita intra sidera? Est profectò, sed hæc ipsa, est ne novus orbis Americanus, avorum nostrorum memoriâ detegi & frequentari ceptus, cujus inventionem prælagivir divinando admirandus Poëta? Non est; Nam melior ejus portio non jacet extra sidera.


II. Quæ Poëtæ, ut Virgil. lib. 1. Georg. Ovid. lib. 1. metam. Tibull. l. 4. Eleg. 1. de zonis perscripserunt, habitationi aptis partim, partim ineptis, non solum nostra hæc ætate falsitatis convincuntur, sed etiam ipsis dictis Poëtis viventibus experientiæ & observationibus non responderunt.

III. Cosmographiam neq; unam aliquam scientiam esse, neq; Mathematicam qui profitentur, haut dubio rectè censent.

IV. Archi-

IV. Archimedes peculiari libello ostendit non solum falsam esse vulgi opinionem de arenis. quod hæ omnem numerum excedant, sed etiam arenam quæ totius telluris molem adæquaret, imò quæ totum sub firmamento mundum complecteretur, numerari posse. Clavius *ἀριθμῶν* & exactissime eum numerum dari posse putat, si de sequentibus rectè constaret. 1. Quot arenæ corpuscula grano papaveris æquivalent? 2. Quot grana papaveris digiti magnitudinem adimplerent? 3. Quot milliaria diameter cœli octavi contineret? Verum etiam his examissimæ cognitis, nihilominus quod proponitur sciri ac inveniri nequit.

V. Antipodas, qui adversa premunt vestigia nobis, neq; esse in mundo, neq; esse uspiam posse docuerunt, Augustinus lib. 16. Civ. Dei; Lucret. l. 1. Laetant divin, Inst. l. 3. & 7. & August. quidem ideo, quia 1. nulla fiat eorum mentio in S. S. quia 2. ab Adamo descendisse nequeant, cùm hinc ad eos nullus pateat aditus. Cæterum non sunt hæ rationes ullius pondetis: inveniri verò reipsa *ἀντιπόδες* Geographia ad oculum ostendit.



quod copius Josue stare videbatur, cum tan-
verè & miraculose tunc temporis stabat.

§. 18. Hisce positis, nil obstat que-
pturæ sensum, hoc modo inverti urgeas, cu-
mè ajemus inverti, quando scriptura pari-
sed esse videtur, haud uno loco proponat;
qui terram super maria fundatam dicit, &
potius terræ, quàm illis hanc inniti undiq-
dem, nam natura dissentaneorum jugum vi-
fieret, si graviora levioribus inædificarentur.

§. 19. Impune etiam huc referri p-
& Ps. 22, 29. ibi enim latera terræ, hic fines se-
dem adseruntur: item Job. 26, 11. & alibi,
memoratur, quæ, cum hujus notæ aliis,
sensum si quis interpretetur, Physicæ Math-
verè dirutum festinat.

§. 20. Quocirca nil peccare nos pu-
tulum à literali declinemus sensu, cum ide-
faciamus, & ideo adversus opponentium
nos tuemur locis ejusdem laudatis, quæ
nos admittant conciliationem, aut interpre-
nihilominus, quòd ex scriptura, de cæli
cium perperam feratur, idq; vel maxime
quæstionis fundamenta non in hac, sed Ast-
tría jaceant;

§. 21. Perpende sodes istud, quod
de vase æreo, quod Salomon inter alia tem-
instrumenta fecit, cujus diameter erat 10.
verò seu circumferentia cubitorum 30. unde
riam proportio statuitur ut 10. ad 30. seu 7
juxta proportionem Archimedæam & expo-
hance aliquando major & fere qualis 7. a
ita utriusq; mensuræ differentia, integer sit
igitur utraque proportionum verior, alterutra
nimirum ea quæ est spiritus S. aut altera quæ
B3

d terra

S. scri-
l maxi-
od est,
. 24. 2.
aquas
to qui-
d aliàs

n. 31, 8.
es ejus-
is cæli
eratem
imenta

i quan-
edocti
parum
contra
manet
a, judi-
hujus
eome-

in quo
mitani
mbitus
perife-
tamen
lem ad
tur, ut
arenti
da, aut
Resp.
Archi-

